

1692, 14

34.

C. D.
De

GRATITVDINE LEGALI

M.
20

indultu

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ

in celebratissima Academia Salana

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO, ICTO,

CONSILIARIO SAXONICO, ANTECESSORE

CVRIÆ PROVINCIALIS,

SCABINATVS ET COLLEGII IVRIDICI

ASSESSORE,

3/

PRO LICENTIA

Summum in Vtroque Jure Doctoris Gradum Ejusdemq; Honores

& Privilegia more majorum consequendi

AD DIEM XXIIX. MAII, CIO IDC XCII.

Horis ante- & postmeridianis

disputabit

JOHANNES MARTINVS Schwabe/

ANNABERG- MISN.

JENÆ, STANNO NISIANO.

83



GRATIA

LEGA

IN

IN

IN

PETRO MÜLLERO

CONSILIO

CAUSAE

SCIENTIARUM ET COLLEGIUM IURIDICORUM

ASSISTENTIA

PRO LICENTIA

Proponitur in hoc regno per nos et per nos

et per nos et per nos

AD BENE XITUM

JOHANNES


JOHANNES MARTINUS

ANNUNCIUM

IN

82





C. D.

De

GRATITVDINE

in genere.

I.

Hominis erga hominem palmarium officium est, mutuam officii vicem rependere, nihilque dicto Chryso-
 mi est, æquè Deo gratum, atque grati esse animi, & gratias agere tam pro se, quam pro aliis. Ita retributio proprium est Gratiarum
 Aristot. 5. *Moral. Nicom. c. 5.* nec quid magis necessarium est, quàm benefactori vicissim beneficia exhibere, & pro datis *danti* aliud reddere, ne illi benefacere cessent, aut amplius dare nequeant. Egregium hominibus gratitudinis exemplum præbent bruta animalia; Sic Ciconia nutricandi fovendique rependit officium, cujus pietatis meminit etiam Aristophanes:

A 2

Nobis

*Nobis avibus lex est
 Per vetusta in Ciconiarum fabulis :
 Ut simul atque Parentes educârit,
 Et volare docuerit pullos suos,
 Pulli vicissim patrem nutriant.*

& Anacharsis ep. 8. *Thrasylloch.* Canis animo præclarum animal beneficiorum memoriam conservat, domumque benefactorum amat, & æquitatem ad mortem usque custodit. Tu superaris à cane beneficiis, cum ratiocinatione hominibus possis æquari. Quærit itaque meus hic sermo, quam iram promerearis, si leonis animum erga benefactores geras. Quare da operam, ut familiaritatem quæ nobis tecum intercessit, tuearis. Etenim ejusmodi vir bonam spem alere potest.

II. Retributio ista denotat gratitudinem seu bonam gratiam, quæ benefactoribus redditur, ac mutuam beneficii compensationem complectitur. Græcis dicitur *ἀντίδοσις*; & moraliter considerata est virtus, qua beneficium acceptum beneficio compensamus seu tribuimus, & Cicero *lib. 1. officior.* ad liberalitatem refert: cum duo genera liberalitatis sint, inquit, unum dandi beneficii, alterum reddendi. Schultetus verò *lib. 1. Ethic. c. 32.* ad Justitiam.

Hoc

Hoc loco ea itidem consideratur, prout justum aliquid vel injustum circa gratitudinem dici potest, atque legibus humanis non minus quam divinis subjacet. In genere gratitudinem dicimus actum, quo exhibemus gratum animum & retribuimus benefactoribus beneficium jure debitum.

III. Est autem Gratitude alia, quæ motu spontaneo fit, absque promissione & est factum officiosum præstitum ab eo, qui ad id neque honestate, neque legis dispositione nec ulla ratione præstandum tenebatur; alia ad quam legis dispositione quis adstringitur, cum quid facit, quod ipsi facere incumbit; ubi non excluduntur merita debita officio pietatis & honestatis naturalis. Hoc loco non de spontanea & ea, quæ liberalitatem sapit, sed de legali Gratitude, id est quæ lege jubente fit, agere animus est. Sicuti dicimus in aliis causis v. gr. Pignus est vel conventionale vel legale; Ususfructus vel legalis vel voluntarius; ita gratitudo alia est voluntaria alia legalis. Non autem per gratitudinem intelligo semper æquale redhonestimentum, sed, si id expectari non potest, subjectionem & honorem.

IV. Consideraturus autem beneficium Dantes facile deprehendere licebit Accipientes & Retribuen-

buentes seu Remunerantes, habent enim se hæ personæ tanquam correlata quarum unum alterum mutuo respicit. Vbi de facto ipso deque modo, vi & Effectu, nec non de adversariis agere animus est. Sunt autem gratitudinem accipientes & quibus pro beneficiis exhibetur gratitudo *Deus, Parentes, Præceptores, Tutores, Ministri Ecclesie, Patria, Governatores Reipublica, Dominus Feudi, & generaliter Benemeriti.* vid. Reinhardus *diff. de Gratitudine* th. 14. Sit ergo

CAPVT I.

De

GRATITVDINE
DEO DEBITA.

SVMARIA.

I. *Quid Deus. Ad gratitudinem Deo exhibendam naturaliter obligamur.* II. *Ethnici templorum, extruptione splendida Deos remunerarunt.* III. *Religio vera & unica Christiana iis adstringitur legibus, quas ipsum Numen præscribit. Qua ratione Theologus & Sctus versentur circa religionem in Republica.* IV. *Princeps summa ope uti debet, ut cultus seruetur in Republica. Judæos certo modo cogere potest ad audiendas Christianas Conciones.*

Deus

I.

Deus nobis est id, quod nobis supra omne amabile, desiderabile, honorabile; in quod vita nostra & desideria propendent, quod supra omnia colimus & amamus, scopus cordis ac virium nostrarum, Deus nos creavit, conservat & concursu jugi dignatur. Pro hoc quod naturaliter nobis cognitum est, lingua deficit, qualem cultum, honorem & reverentiam Deo pro infinitis beneficiis retribuamus, quodque remuneramus. Hinc cultus sive religio orta apud omnes gentes ac legumlatores in Rebus publicis legibus suis religionis curam & ardorem factum tectum habuerunt.

II. Remunerarunt utique Ethnici Deastros suos splendida templorum extructione. Sic *Romani* dicuntur præter ædificulas & sacella ferè innumera quadringenta viginti quatuor templa habuisse, Capitolino templo Tarquinius superbum 400. talenta impendisse, præterquam quod successu temporis à populo magis magisque auctum fuisse, & in *Græcia Diana Ephesina templum* vix ducentesimo anno absolutum esse fertur. Sacra Gentiles si fecerunt, præco clamavit: Hoc age: Cicero ad LL. 12. tabb. Ad Divos. caste. adeunto. pietatem. adhibento. opes. abmovento. qui. secus. Faxit. Deus. ipse vindex erit. Deos suos quo minus exosis formulis compellarunt, maximè sibi caverunt, & ita soliti sunt precari: Sive Deus, sive Dea: aut quocunque nomine vocari volueris &c.

vel si quo alio nomine vocari volueris &c. videatur Briffonius lib. 1. de formul. p. 54. Rosinus ritibus cum not. Dempster. l. b. 4. c. 22. De reliquis

liquis religionibus, Pagana, Mahumetana & Judaica sermo mihi amplius non erit, licet in omni religione sit cognitio seu potius agnitio divini Numinis, & hujus agniti veneratio certis legibus certisque nominibus devincta Lipsius *lib. 1. politicor. c. 3.*

III. Religio nostra unica & vera Christiana consistens in Numinis veri ex verbo ejus revelato hausta cognitione & veneratione, iis adstringitur legibus, quas ipsum Numen praescribit. Nosque decet venerari atque grato pectore remunerare datorem atque statorem vitae fontemque omnis boni; quae gratitudo, reverentia & devotio erga Deum interna facit cultum externum, & tali modo Jurisprudencia nostra eum spectat. Non enim minor Jcto est Religionis cura habenda, quam Theologo, saltem quod praecipua ejus capita concernit, dicente Jctissimo Zieglero *in dissertat. de baptisate non iterando th. 6.* Vbi autem vera est gratitudo veraque pietas, ubi etiam sese exerit cultus partim in foro exteriori, quae etiam hujus considerationis est, immediatè in Deum ipsum, partim mediatè in personas & res ecclesiasticas. Priori consideratione observatur in usu sacramentorum, auscultatione verbi divini, & observatione feriarum in honorem Dei institutarum. Posteriori in benivola veneratione ministrorum atque exhibitione beneficiorum & collatione munusculorum, quo vel aedificia sacra conserventur & ministri officialem ecclesiae vitam queant ducere. Quae omnia ut rectè sese habeant, curam gerit & Legislatores & Jctus: ille ferendo, hic eas applicando. De iis quae justa sunt circa Baptisatum & Sacram coenam, videantur elegantissimae dissertationes sub praesidio Magnifici Dn. Nicol. Christoph. Kerri Jcti nominatissimi habitae.

IV. Ut autem cultus servetur in Republica, Princeps summa ope debet niti; imò ad avertenda scandala & veræ religionis propagationem, cum Religio & sacra utique pertineant ad Principem ratione conservationis & custodiæ, cogere potest eos, qui in civitate vivunt, ut ingrediantur templa atque verbum divinum auscultent; Sic Judæi cogi possunt, ut statutis diebus verbum Dei in templo Augustanorum vel Pontificiorum audiant, uti Hassiæ Principes in suis territoriis id observant, ubi Judæis ibi degentibus, omnibus ac singulis Giesam convocatis, quotannis bis in Curiâ oppidanâ per Superintendentem Generalem habetur Concio, in qua ille Judæorum crassos errores ex fundamentali linguâ solidè refutat, & ob oculos ponit, nostræque religionis veritatem ex veteri testamento clarissimè demonstrat, vid. D. Gerhard. *quæst. controvers. in jur. publ. hex. 10. q. 6.* quo ipso Princeps gratitudinem pro accepto à Deo regimine & vicariatu divino ostendit & verè exhibet. De aliis, quæ circa cultum divinum tam quoad interna quàm externa considerantur, nolo esse prolixior, cum tam apud Theologos, quàm Jctos justè extent Commentarii. Interim vidd. D. Joh. Adami Osiandri *Theologia moralis* & B. Carpzovii *Jurisprudentia Ecclesiastica.*

C A P. II.

De

GRATITVDINE PARENTIBVS,
TVTORIBVS ET PRÆCEPTORIBVS
debita.

S V M M A R I A.

- I. *Omni honor Parentibus exhibendus. An in omnibus jusibus Parentis obtemperandum.* II. *Quid*

B

se

si inter Patrem & Matrem dissidium sit. III. In nulla re magis exhibent liberi gratitudinē Parentibus, quā si eos alant. IV. Parentum nomine etiam Adscendentes veniunt. V. De Emancipatis bene merentur Parentes. VI. Tutoribus naturaliter debetur gratitudo. VII. Praeceptores annumerantur Parentibus. VIII. Gratitudo erga Praeceptores consistit in praestatione alimentorum. Exempla. Proinde pro furto non reputandum, si discipuli spontaneè gratos se exhibeant. IX. Praeceptores ab ingratis discipulis salaria exigere possunt.

I.

Quidnam liberi Parentibus exhibere valent, quo beneficia ab iis accepta pensent? Vitam enim post Deum habent ab ipsis; quā onerosa ipsorum educatio evadit, donec adolescant, ut victum sibi quærere possint. Remunerationis instar est, quod obedientiam & honorem debeant Parentibus, id quod Aristot. *lib. 9. Eth. c. 2.* vult, *Honor quoque parentibus, quemadmodum Diis exhibendus est.* & Apostolus *Col. 3. 20.* praecipit: *Liberi obedite Parentibus per omnia sive in omnibus.* Equidem variè explicant locum Aristotelis interpretes, vidd. Donat Acciajulus, Theodorus Zvingerus, Petrus Victorius, Obertus Giphanius, Antonius Riccobonus, Johannes Magirus, & alii. Benè hanc in rem Aul. Gellius *lib. 2. Noct. Attic. c. 7.* *Queri solitum est, inquit, in philosophorum disceptationibus, an semper inque omnibus iussis patris parendum sit. Super eà re Graeci nostrique, qui de officiis scripserunt, tres sententias esse, quae spectanda considerandaque sint, tradiderunt; easque subtilissimè judicaverunt: earum una est, omnibus quae pater imperat, parendum. altera est; in quibusdam parendum, quibusdam*

non

¶ (II) ¶

non obsequendum. tertia est, nihil necessum esse, patri obsequi & parere. Ultimam sententiam primo aspectu nimis infamem esse dicit, Neque etiam primam veram & probam videri posse asserit, omnia esse quæ pater jusserit, parendum. quid enim? ait, si prodicionem patriæ, si matris necem, si alia quædam imperarit turpia aut impia. Pergit: Media igitur sententia optima atque tutissima visa est; ad quædam esse parendum, quædam non obsequendum, sed ea tamen, quæ obsequi non oportet, leniter & verecundè, ac sine detestatione nimia, sineque opprobatione acerbâ reprehensionis, declinanda sensim, & relinquenda magis esse dicunt, quàm respicienda. Concludendum itaque est, liberos debere obedientiam Parentibus in iis, quæ honesta sunt, non verò in delictis. Hinc etiam si & Pater & Mater inhonesti quid perpetrare v. gr. furari jubeant, obediendum minimè est. Deus enim cordibus nostris inscripsit hanc legem: Nihil mali committendum. *Quæ autem legi Dei adversantur sive directo sive indirecto modo, nullus minister heros, nullus filius parenti, nullus Vasallus Domino, tenetur prestare; imo ne committat aut approbet, supplicium capitis potius subeat, quod Papiniano fratricidium Antonini Caracalla non excusanti contigit.* Quod aureum est monitum Johannis Marnixii, Flandri, Baronis Potæi in *Institutione Viri publici part. 2. concl. 4.*

II. Quid si inter matrem & patrem, circa jussa dissensus sit, sive liticula inter eos intercedat, quem potiùs audire debeant liberi, matremne an Patrem? Respondet Eichelius in insigni tractatu de jure, quo naturaliter liberi & parentes sibi invicem sunt obstricti part. posterior. th. 5. Credimus, inquit, juri naturæ conveniens esse, si pater & mater in præcipiendo discrepent, in iis quidem rebus, quæ leviculæ

sunt, & ad administrationem matris domesticam pertinent potius imperium matris esse audiendum: in reliquis verò quæ extra hæc negotia sunt, patrisque officium concernunt, potius patris imperata facienda esse. Dicto enim Senecæ *lib. 3. controv. 19. Prima partes sunt patris; Secunda matris.* Chrysostronus *1. ad Corinth. XI. 3.* meritò viro foemina sub- jicitur. *Nam equalitas honoris pugnam parit.* Hinc est, quod jura romana omnem ferè potestatem matri ademe- rint, dederintque Patri §. *ult. Inst. de patr. potest. §. 10. Inst. de adopt. §. ceteri Inst. de hered. qual. & differ. l. 4. §. 2. ff. de honor. possess. contr. tabb. l. 13. de suis & legit. hered.*

III. In nullo magis opere exhibere videntur liberi gratitudinem jure debitam, quàm si egentes Parentes a- leant, si illis non suppetat, unde vivere queant; ad hoc enim jure naturali & lege tacita obligantur; cum rationi conveni- at, ut vitam conserved illis, qui vitam ipsis prius dederunt, neque gratitudinem expleat reverentia *l. 13. de in jus voc. non obsequium t. t. de obseq. parent. prest.* sed animi quoque gratitudo in compensationem & remunerationem benefi- ciorum requiritur *1. ad Timoth. 5. v. 4. arg. l. 25. §. 11. de hered. petit.* Non solùm jure naturali, cujus vestigia & signa quæ- dam in brutis apparent, ex quo etiam Parentum erga libe- ros obligatio descendit, sed eo quod jus gentium rationis appellat Wesenb. *ad §. 4. Inst. de jur. nat. gent. & civil. vid. Coras. de arte juris p. 2. c. 4. & propriè est jus naturæ.* Hanc in rem eleganter Philo Judæus *in explicat. Decal. ad 5. prece- ptum differit: Imitatores saltem mutorum animantium esto- te homines. Beneficio vicem rependere illa edocta norunt. Canes domus defensores sunt: quin & pro heris moriuntur; si quod subitò periculum eos concigerit. Dicuntur & canum illi, qui greges comitantur, precedere pecora, depugnantes*
ad

ad mortem usque ut pastores illasos præsent. Nonne inter
 fœda fœdisimum est, in referenda gratia vincti hominem à ca-
 ne, mitissimum animal à ferocissimo? quod si à terrestribus
 non satis edocemur, transeamus ad naturam volucrum, æ-
 ris viatricem, ut vel inde discamus, quod oportet. Ciconia-
 rum senes in nidis manent, volare invalida. Harum sobo-
 les per omnes, propè sic dixerim, terras mariaque volitant,
 victum undique parentibus quærentes, ille pro ætatis meritò
 fruuntur quiete, rerum copia, deliciis etiam: hæ verò itineris
 molestias solantur pietatis conscientia & expectatione parvis
 olim, ubi senuerint, à sua prole, atque ita legitimo tempore
 debitum persolvunt necessarium, quod accepere, reddentes,
 neque enim ab aliis alimenta habere possunt, aut initio vitæ
 parva cum sunt, aut natu grandes in vitæ exitu, quapropter
 non alio quam natura magistro didicerunt educare vetulas,
 educata & ipsa cum tenera essent. Nonne verò hæc ubi au-
 diunt, habent cur se præ pudore abscondant, qui parentum
 curam non habent, atque eos negligunt, quos aut solos aut præ
 ceteris sublevare debuerant, præsertim cum id facientes non
 tam daturi sint quippiam, quàm id, quod debent reddituri?
 Nihil enim est liberis proprium, quod non parentum sit prius,
 qui aut de suo dederunt aut acquirendi præbuerunt causas.

IV. Parentum nomen non Patrem solum Matremque,
 sed & Avum & Aviam, reliquosque Ascendentes complecti-
 tur, sicuti & liberorum omnes descendentes, sive sexus viri-
 lis sint sive foeminini l. 3. §. 2. de grad. & affin. l. 4. de in jus
 voc. Jure civili alendos esse parentes, etiam à liberis eman-
 cipatis l. 5. §. 13. de agnos. lib. & impuberibus d. l. 5. §. 13. pro-
 batur; Naturales quoque Patrem naturalem tantum Auth.
 licet C. de natur. liber. Nov. 89. c. 13. Adulterinus quoque &
 incestuosus, non quidem solum ex æquitate canonicâ per
 cap.

cap. cum haberet, sed & ex dispositione juris civilis *Autb. incestas C. de incest nupt. Nov. 12. c. 2.* ubi: *licet legum contemptor est, tamen Pater est.* Pater dilapidans bona liberorum adventitia, cui quidem administratio eorundem adimitur *per l. 50. ibique Gloss. ad SCt. Trebellian.* ex fructibus tamen eorundem bonorum ademptorum alimenta debet consequi, quæ taxantur secundum qualitatem reddituum *Boer. decis. 1. g. n. 8.* Quocunque enim casu Pater bona adventitia filio restituere coactus fuerit, ex eis alendus est *Carpzov. p. 2. c. 10. def. 10. n. 5. Richter. p. 1. decis. 18. n. 8.* Etiam Pater ab Imperio proscriptus seu Bannitus atque Excommunicatus debet à liberis ali; non enim tantum fidelibus, sed & infidelibus hæc pietas debetur, magis tamen fidelibus juxta *Ambrosium c. non satis dist. 86.*

V. Ad gratitudinem devinciuntur liberi Parentibus, quando hi ipsos emancipant, tunc enim insigniter merentur de ipsis *arg. l. 6. §. 3. ibi: quasi remunerationis gratia C. d. bon. qu. liber. §. 2. Inst. per quas person. cuique acquir. nec enim ad emancipationem cogi potest pater à filio §. fin. Inst. quib. mod. patr. pot. solv.*

VI. Tutores quoque Parentum personam sustinent *Job. 19. v. 25. 27.* utpote qui pro rectè educandis pupillis gravissimas curas, molestias ac pericula sustinent, adeo ut onus reddendarum rationum sustineant, atque damna & periculum v. g. nominum, ab ipsis factorum ad ipsos pertineat. *l. 8. C. d. administr. tutor.* cum eo modo deterioris conditionis in re aliena esse videantur, ac ipsi Parentes, qui ob usum atq; abusum rerum suarum liberis suis non respondent seu calculum ponunt. Inde ad reverentiam, honorem atque gratitudinem pupilli adstringuntur tutoribus suis; quæ non minimam partem in eo conspicitur, quando in rationibus

bus reddendis non adeò rigorosè agunt cum tutoribus suis, quorum integritas fidesque aliàs conspicua est aliis, in quam rem P. Frider. *lib. 2. c. 49.* quem allegat Tabor *relat. Argentorat. 39.* benè infert: æquam adhibendam esse in his causis (rationibus tutoriis) moderationem, ne nimis durè cum gestore agatur: cùm multi hac ætate inveniuntur ingrati cuculi, qui ob levem ansam tutoribus maximum negotium faceffunt.

VII. Præceptores annumerantur Parentibus *Gen. 4. v. 20. 21.* Elisæus Præceptorem suum Eliam Parentem nominat *2. Reg. 2. v. 12.* Lutherus *tom. 7. Altenburg. fol. 793.* seu sanguine junctis §. 5. *Inst. qui & quib. ex caus. manumitt. non licet.* Ibiq; Schneidew. Et Imperator Alexander Severus vocat Vlpianum Præceptorem, magno honoris incremento Parentem suum *l. 4. C. locat.* Sicuti pro Synonymis reputantur Magistri & Parentes in *l. 1. in fin. C. de excusat. artif.* Filii vocantur qui erudiuntur, *Surdus de alimentis t. 1. qv. 53. n. 3.* Rebuffus *de privileg. universit. & Scholar.* Præceptores Patres doctrinæ appellant, agunt enim studiorum curam *l. 1. §. 1. d. extraord. cognit.* Quintilianus *lib. 2. c. 2.* Sumat inquit, ante omnia ergo discipulos suos animū Parentis & se credat successorem parentis esse. Vt proinde ob beneficium imò alteram vitam (cum à Parentibus vivere, à Præceptoribus benè vivere accipiamus) gratitudinem quilibet exhibere, ac beneficientibus benefacere tenetur. *l. 12. §. 8. mandati. c. 7. X. d. testament.*

VIII. Gratitude ista discipulorum erga Præceptores præprimis consistit in alimentorum præstatione, si egeni sint Præceptores, cum æquitati consentaneum sit, ut qui incommodum, aliquale etiam sentiant commodum maximè à discipulis, quorum officium est mercede remunerari Præcepto-

ptores suos *l. 27. d. donat. l. 4. ubi pupill. educar. &c.* quod & auditores Sabini fecerunt *l. 2. §. fin. de O. J.* Huic enim amplæ facultates non fuerunt, sed plurimum à suis Auditoribus sustentatus; ita necessitas docentis relevari debet. Crato Philosophus, ut adversus Præceptorem Socratem gratum se exhiberet, ei toto vitæ tempore necessaria suppeditavit Spengler. *exercit. Eth. ult. præcept. 1.* ubi cum laude refert gratitudinem militis cujusdam, qui in excidio Magdeburgensi Præceptorem olim suum salvum & incolumen eduxisse dicitur. Non proinde furtum dicendum, si discipuli ex libera quadam voluntate & affectu quodam naturali & justa ratione moti *l. 7. §. 1. d. donat.* non coacti, nec instigati, cum sic liberales minimè existerent *l. 18. d. adim. vel transfer. legat. l. 29. d. donat. l. 10. C. eod. l. 82. d. R. J.* aliquid conferant & donent Præceptoribus, ait Illustris Jctus Strykius *Dissertat. d. jure Præceptorum cap. 4. n. 29.*

IX. Sanè Præceptores à discipulis ingratis salaria pro opera, scilicet extraordinaria autore Præceptore exigere posse tradit Grænewegen *ad l. 1. §. 4. & 5. d. extraordin. cognit. n. 2.* ubi eo nomine Ulpianum reprehendit, dicens, magnum non esse, si cum discipulis contulerint ea, quæ ad vitam attinent meliorem, vicissim accipiant, quæ ad hujus vitæ necessitatem pariter, & tuendam dignitatem pertinent: & cum rem inæstimabilem seminaverint, non inhonestè laboris præmium & honorarium postulant ab ingrato, cujus commodis insudarunt, maximè cum æquitati nihil tam conveniens sit, quam ut is, qui fidâ alicujus operâ usus commodum sensit, remuneratione gratiam aliquam rependat.

CAPVT III.
DE
GRATITVDINE
erga
MINISTROS ECCLESIAE.

S V M M A R I A.

- I. *Ministri Ecclesie gregis sibi comissi Patres sunt, maximamque sustinent curam. Eorum officium.*
- II. *Gratitudo exigit, ut non solum eos Parochiani honorent, sed illis quoque benefaciant, eosque sustentent.*
- III. *Quorsum pertinet ut commodam habitationem & Decimas, praesertim, ubi haec usu sunt recepta, praestent.*
- IV. *Neque ipsis invidenda sunt accidentalialia, inter quae referendus numus confessionarius.*
- V. *Immunitates Ministrorum Ecclesiae non sunt turbanda.*

I.

Fidelis minister verbi divini gregis sibi commissi pater; imò ratione officii plus quàm naturalis pater est, hujus enim beneficio liberi vitâ fruuntur vita caducâ, illius verò ministerio vitam assequuntur æternam; Ita Apostolus *1. ad Corinth. 4. v. 14.* ad Corinthios suos scribit: Vos ut filios meos carissimos admoneo; nam in Christo Jesu per Evangelium vos genui *vers. 16.* Ac unicuique Ecclesiae Ministro, tanquam Patri spirituali & animarum Pastori, omnes ac singuli sui auditores tantâ fidelitate & severâ additâ comminatione à Deo ipso sunt commendati, ut justus ille iudex vivorum & mortuorum aliquando in novissimo die ac universali iudicio horum animas & sanguinem de ipsis manu

C

fit

fit requisiturus. *Ezech. 33. vers. 7. & 8.* Proinde arduum Ministrorum Ecclesiae est officium ac singularissima pro suis auditoribus cura. Inprimis Clerici Apostolico-Catholici officium consistit in propagatione atque conservatione; propagatur autem & conservatur religio Christiana oratione & ardentibus in Deum suspiriis, praedicatione atque propositis ex sacrosancta Scriptura doctrinis, deliberatione atque sanis consiliis, gubernatione, & legitimis praesidiis, grata donatione, ac liberalibus subsidiis, fideli procuratione & sedulis ministeriis, & tandem honesta vitae & morum gubernatione atque conspicuis exemplis. Quanta cura! quanti labores pro animabus!

II. Pro tantis beneficiis Auditores ac Parochiani gratitudinem Sacerdoti ac animarum Pastori exhibere ne cessent juxta illud: Qui a Pastoribus Ecclesiae spiritualia bona metit, is lege gratitudinis carnalia iis retribuere necesse habet *1. Corinth. 9.* Neque enim frustra praecipit olim Deus, ne quis coram Sacerdote vacuus compareret, nec Levitam desereret *Deut. 12. 19.* & Salomonis praecipitum est: Honora Dominum de substantia tua & de primitiis omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt, *proverb. 3. 9.* Joh. Azor. *Inst. moral. lib. 7. c. 27.* Christi & Apostolorum tempore Christo divites quaedam mulieres, ipsum secutae, & alii forte pii de facultatibus suis ministrarunt, unde se cum discipulis aluit, & pauperibus etiam benefecit *Luc. 8. v. 2. & 3. Joh. 13. v. 29. & habebat. 12. q. 1.* mortuo autem atque sublato in caelum Salvatore, Apostolis & discipulis opus a piis hominibus, qui Hierosolymis primi extiterunt, & mox cum religione Christiana communionem bonorum amplexi sunt, praediis agrisque divenditis & in commune collatis, de omnibus ad vitam fu-

sustentandam necessariis similiter abundè prospectum fuit
*Act. 2. v. 44 & 45. Item cap. 4. v. 32. & seqq. & cap. 5. v. 1. &
seqq. Act. 6. v. 2. & seqq.* Postmodum cum è re Ecclesiæ
visum esset, si prædia & agri, quos p̄i vendere solebant, Ec-
clesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderentur, cœperunt
eæ immobilia possidere, & proventum eorum Clericis viri-
tim dividere, *Duaren. d. sacr. eccl. minister. & benef.* illudque
factum est Urbani I. tempore Platina *in vita Urbani primi c.
videntes 12. q. 1.*

III. Cum sustentandos esse Ecclesiæ Ministros jamjam
dictum sit, modus autem sustentandi variet, cum alio modo
in oppidis, alio in pagis & villis, ibi plerumque in certa pecu-
niæ summa, hîc ex fructibus agrorum decimis aliisque redi-
tibus salaria præstentur *Ordin. Ecclesiast. Elector. Saxon. art.
gener. 20.* experientia testatur ingratos sæpius existere paro-
chianos erga Ministros Ecclesiæ, præsertim ubi ex invetera-
ta consuetudine Pastoribus certi panes præstantur, ut minu-
tiores vel ex viliori frumento & glumis pisti atque cocti of-
ferantur, quo ipso non parum eorum salaria deminuuntur
vid. *Carpz. lib. 1. Jurisprud. Consistorial. tit. 7. Definit. 102.
n. 6.* Et quod de Decimis allatum est, ita debet intelligi, ut
illorum quantitas ac modus ex pietate, charitate & commo-
ditate non semper verò in decima parte, sed quantitate pro
cujusque loci consuetudine recepta debeantur, *Paul. Tar-
nov. in decis. questionis, An decimæ ex Justitia debeantur Sa-
cerdotibus & c. ap. Dedekenn. vol. 1. consil. eccles. p. 2. fol.
843. n. 9.* Ad sustentationem quoque pertinet commoda
habitatio Pastoris, ad cujus fabricam indifferenter contribu-
unt Parochiani sive sint Mansarii, Inquilini, vel Hortulani
*Carpz. lib. 2. Jurisprud. Consistor. defin. 341. add. Dn. Præsi-
dis Disputat. d. Bonis Parochialibus.*

IV. Neque Ministris Ecclesiæ invidenda sunt Accidentalibus, uti vocant, cum alimenta Pastorum animarum præsertim in villis & pagis sint exigua & modica, ut eorum sustentationi vix sufficiant, ut propterea potius augenda sint, quàm diminuenda, ne dignitas ecclesiastica ob paupertatem vilescat *clement. in plerisque d. Elect. & Elect. potest.* qualia honoraria sunt proclamationis & copulationis, pro deductione funeris. Ad quæ refertur etiam donarium illud, quod vocant Numum confessionarium *den Weicht. Pfennig* quod munusculum ex mera gratitudine proficiscitur, ac sponte offerendum, non verò à Ministro Ecclesiæ exigendum est *Carpz lib. 1. Jurisprud. Consistor. tit. 7. def. 107. add. Dn. Præsidis commentat. d. Numo confessionario.*

V. Immunitates, beneficia & Accidentia, quibus indultu Superiorum vel diu observata consuetudine gaudent Clerici, ipsis non sunt invidenda, quemadmodum Pastores & Aeditui in villis & pagis ad cœnam post bapsimum paratam invitari solent, vel eis honorarium pro eo solvi *Carpz. libr. 2. Jurispr. Consistorial. def. 121.* Huc referendum quod à Collectis regulariter sint immunes *l. 5. ubi DD. d. Episcop. & Cleric. l. 33. §. 7. C. d. Episc. & Cler.* Auditores quippe quovis modo gratam mentem significant, & observantiam erga ministerium ecclesiasticum *Frider. Balduin. d. casibus conscientie lib. 4. cap. 10. cas. 5.* pro tali gratitudine divinam benedictionem largiter expectaturi; Satius enim est Dei ministris de bonis, quæ homo pius a Conditorum suo accepit, aliquid tribuere quàm rebus inanibus ac fluxis cum peccato impendere.

CAP. IV. ET VLTIMUM.

De

GRATITVDINE PATRIÆ, GVBERNATORIBVS REIPVBL. DOMINIS FEVDI ALIIS-
QVE EXHIBENDA.

S V M M A R I A.

- I. *Quantum sibi vindicet Patrium solum.* II. *Pro Patria quævis mala toleranda.* III. *Nemo tamen pro servanda patria potest se infallibili morti subicere.* IV. *Eademq; gratitudo debetur Reipublicæ Administratoribus.* V. *Gratitudinem debet exhibere Vasallus; Ingratus feudo privandus.* VI. *De aliis quibus gratitudinem exhibere tenemur, remissivè.*

I.

Luciani effato: Jam olim illud vulgi sermone decantatum est, nihil esse Patria dulcius. Itaque jucundius quidem nihil est: Sed quid ea est venerabilius aut divinius? & quidem quæcunq; venerabilia & divina homines existimant, horum causa est, & magistra patria quæ nos genuit, aluit, atq; instituit. Hinc Patria Sacra & apud omnes pietatis laude clara & illustris dicitur, & dicente Valer. Maxim. *lib. 5. cap. 6.* Patriæ majestati etiam illa, quæ deorum numinibus æquatur, autoritas parentum, vires suas subjecit; fraterna quoque caritas æquo animo ac libenti cedit; vindicat non solum bona nostra, sed etiam maximam partem nostri. Nostri nobilissima pars est anima. Non enim tantum parentibus, verum etiam patriæ nascimur. *l. sicut. 1. §. 11. in fin. d. ventr. in possess. mitt.* imò ipsis parentibus patria præfertur *l. 35. ff. de relig. & sumt. funer.* magisque obedire tenemur *l. postliminium 19. §. 7. d. capt. & postlim. revers.* Sic viceversa etiam patriæ

C 3

confu-

consulendum est, quam liberis, quod fecisse Pharnacem Regem Parthorum scribit Justin. *lib.14.* prope finem. Is enim presentibus suis filiis, quos multos reliquerat, fratri potentissimo Mithridati insignis virtutis viro, reliquit imperium, plus patriæ quam patrio deberi nomini ratus, potiusque ei, quam liberis consulendum Philipp. Camerarius *oper. subci- sivo. cent. 1. c. 32.*

II. Unde gratitudo erga Patriam postulat, ut pro patria quævis mala toleremus ejusque salus nobis præcipua sit Thuanus *part. 1. lib. 15.* Camerar. *d. l.*

*Vincere pro patria, vel pulcra occumbere morte
Fortis amat.*

& proinde ingrati sint dicendi, ac grande nefas committere, qui contra patriam præstant patrociniû Nicol. Reusner. *2. cons. 22. n. 32.* Imò qui operas suas patriæ auxilio subtrahunt, ingratos pœnisque subjiciendos existimarunt Romani. Sic Augustus referente Suetonio *c. 8.* *Equitem Romanum quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit bastæ.* Isti flagitio reprimendo complures leges latæ. *Eum qui filium debilitavit delectu per bellum indicto, ut inhabilis militiæ sit, præceptum Trajani deportavit l. 4. §. 12. d. re militar.* Extat quoque lex Constantini *l. 1. C. Theodos. de filiis militar. apparitorum & veteranorum.* *Veteranorum liberos aptos militiæ, quorum quidam ut desides recusant militarium munerum functionem, quidam adeo ignavi sunt, ut cum dispendio corporis militiæ velint necessitatem evadere, jubemus, si ad militiam inutiles, resectis digitis judicentur, curialibus muneribus atq; obsequiis adgregari.*

III. Licet magna obligatio penes nos resideat adversus patriam, non tamen est tanta, ut pro servanda ea certæ & infalli-

fallibili morti subicere debeat aut possit; cum mors propria nullo modo possit fieri licita, *c. non licet 23. qu. 5.* neque pro castitate conservanda *c. ex parte. d. Sepulchr.* neque pro fide *c. non est nostrum 23. qu. 5.* neque pro Parentibus Bald. *inl. & servorum §. 2. in fin. d. stat. homin.* Ergo neque pro patria. Licet omne periculum sit subeundum pro patria, de quo possit aliquo modo sperari evasio, non tamen certa & indubitata mors. Omnis enim actus directè & immediatè ex propria natura tendens ad mortem, est illicitus Covarruv. *var. resolutus. lib. 1. c. 2. n. 8.* Actus verò affirmativus, qui immediatè non vergit in crimen & delictum ex propria sua natura, potest ex aliquo bono fine esse licitus, dummodo in bonum sufficienter dirigatur: licet ex accidenti morti sit proximus, ut in bello pro Republica vitam exponere, tormenta sulphurea non pertimescere, periculofiori loco pugnae se committere. Exempla vid. *Jud. c. 18. de Zabulone & Nephthali*, qui animas suas morti, id est, periculo mortis in regione Merone obtulerunt v. Riemer. *disp. de potest. in seipsum tb. 10.* Pufendorff. *d. obligat. adversus patriam* ubi doctè agit *tb. 23. seqq.* An vita pro patria placando Numini tradenda? an corpus præbendū pro patria placando homini? An foeminae pro patria teneantur subire nuptias invitas? Quid juris patriæ in nostram famam?

IV. Eadem obligatio cum sit adversus Principem, ac quæ est erga Patriam & Rempublicam, sequitur quod & eadè gratitudo debeat administratori Reipublicæ. Cum Hic eam repræsenteret. Habet verò gratitudo ista semper præ se rectam rationem, neque consistit in eo, ut ad exhibendam eam subditi ex amoris excessu, æmulatione decori & charitate semet ipsos velut interficere, corpusque in compensationem singularemque gratitudinem donare, quæ non nisi Autochirias species vanitasque est, vid. D. Joh. Christophor. Becmann. *dissert. d. pietate subditorum erga Principem cap 3. tb. 9.*

V. Post-

V. Postquam Vasallus in consortium Domini receptus est, gratus debet esse erga Dominum, eique præstare ea, de quibus in investitura conventum est, speciatim reverentiam exhibere, Dominumque injustè carceratum liberare Vultej. *d. feud. lib. 1. cap. 11. n. 48.* inopemque & egenum pro qualitate feudi alere Schrader. *d. feud. p. 9. c. 8. n. 8.* non secus ac liber- tus, qui itidem Patronum egenum omnino alere tenetur *l. 5. §. solent & l. fin. ff. d. agnosc. & alend. liber.* Quæ si non præ- stat, ingratus audit Vasallus potestque feudo tanquam eo indignus privari.


VI. Jam etiam de aliis benemeritis, erga quos grati esse debemus, & beneficia referre, ubi & de donatore, dicendum esset, sed cum pagellas contrahere literæ me moneant avo- catoriæ, sufficiant hæc, tanquam argumentum amicabile dis- cursus exposuisse. Interim videantur egregiæ dissertatio- nes Illustris Rhetii & Dn. Præsidis *d. benemeritis.* Rumelini *d. Donatione remuneratoria.* Mollenbecius *de Donatione re- muneratoria.* Schwendendorffius & Decherus *d. Ingratitu- dine.* Tantum! Sit Deo gloria!

COROLLARIA.

- I. Fratres conventi à fratribus non gaudent beneficio competentie.
- II. Vicarii Imperii tempore interregni possunt concedere literas moratorias.
- III. Contractus bonæ fidei vi aut metu extortus ipso jure non est nullus.
- IV. Ignorantia sola non est justa causa restitutionis.
- V. Quod in diem debetur etiam invito Creditori ante diem solvi potest.
- VI. Stricti juris Contractus non efficitur per adjectam clausulam: *alles treulich und ohne Gefahrde* / Contractus bonæ fidei.
- VII. Filius repudiata hereditate paternâ consequi vel retinere non po- test legitimam.
- VIII. Promissio bey Fürstl. Gräfl. oder Adelichen Ehren Treu und Glauben / pro juramento non habetur nec jurijurando equiparatur.

F I N I S.





ULB Halle

3

005 125 650



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1692, 14

34.

M

20

3

83

V D I N E A L I

ATIS JURIDICÆ
cademia Salana

I D E
LERO, JCTO,
CO, ANTECESSORE
INCIALIS,
LLEGII JURIDICI
ORE,

CENTIA
is Gradum Ejusdemq; Honores

jorum consequendi
II, CID IDC XCII.
ostmeridianis

bit
TINVS Schwabe/
G. MISN.

O NISIANO.

